



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

19. An in aliquo casu in articulo mortis teneatur quis sumere  
Sacramentum Confirmationis? Et an sit peccatum saltem veniale omittere  
hoc Sacramentum? Ex p. 5. tr. 3. res. 32.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

men unquam suscipit, per totam vitam exponit se periculo, ac proinde peccat nunc mortaliter, nunc venialiter ratione circumstantiarum, & sunt res morales cum circumstantiis accipiendae; peccat, inquam, nisi per aliquam ignorantiam excusetur. Taceo quod sacramentum hoc non videtur omitti posse deliberate per totum vite tempus sine aliquo contemptu, aut scandalo. Et ita hanc sententiam Ex rationibus supradictis tenet novissime ex insigni Universitate Sorbonica Philippus Gamachus in summa Theol. tom. 3. q. 69. c. 9.

4. Verum his non obstantibus, ego puto nullum adesse praeceptum per se suscipiendi Confirmationem, adhuc data opportunitate. Ita D. Thom. in 3. part. q. 72. artic. 8. ad 4. Ochagavia de Sacrament. Confirmat. q. 12. num. 3. Prapolutus in 3. part. q. 72. art. 8. num. 38. Granadus de Sacrament. in 3. part. controv. 5. tracl. 4. dist. 1. num. 4. & ita etiam ex Soto, Covarruvias, Vasquez, Suarez & Coninch, tenet Hurtadus de Sacrament. Confirm. difficult. 11. quia praedicti Pontifices non agunt de necessitate simpliciter, quae efficit praeceptum, sed de necessitate secundum quid, quae indicat quamdam utilitatem. Praeterea hoc praeceptum nec scriptura, neque Ecclesia imposuit, quia Ecclesia circa Sacramenta tantum solet determinare tempus, in quo debeant recipi, ut videmus in sacramento Eucharistiae, & Poenitentiae. Sed circa hoc sacramentum nullum tempus determinavit Ecclesia, in quo debeat recipi; ergo non est aliquod praeceptum obligans ad receptionem illius.

Sup. hoc vide precedentem Ref. & alias Ref. & §§. ejus nor. & si gnanter lege infra. §. ult. Ref. 24.

RESOL. XIX.

An in aliquo casu in articulo mortis teneatur quis sumere Sacramentum Confirmationis? Et an sit peccatum saltem veniale omittere hoc Sacramentum? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 32.

§. 1. Hanc quaestionem non ita facile apud multos invenies, & ad illam affirmativè respondet Ochagavia de Sacrament. Confirmat. quaest. 12. num. 4. ubi sic ait: Absolutè, & simpliciter loquendo, neque erit peccatum mortale, neque veniale, omittere hoc sacramentum, quia nullum extat praeceptum de illo recipiendo; per accidens tamen poterit esse peccatum veniale, omittere Confirmationem, si censeatur esse aliqua prodigalitas in ea omittenda, vel nonnulla temeritas in aggrediendo sine illa, pericula mortis, imò erit peccatum mortale, si relinquatur Confirmatio per contemptum, aut si quis eam relinquere in articulo mortis, quando haberet conscientiam peccati mortalis, & non posset recipere aliud sacramentum, quia tunc cum sola attritione existimata contritio posset salvari per hoc sacramentum, quia maxima temeritas videtur remedium ita facile relinquere, & expectare contritionem, quae valde difficilis est. Ita Ochagavia.

Sup. hoc doctrina supra in Ref. 17. & in aliis ejus not.

Sup. hoc ibidem §. Sed difficultas. & infra in fine, Ref. 24. §. ult.

RESOL. XX.

An liceat ministrare hoc Sacramentum Confirmationis personaliter interdico, qui causam dederit? Et an hoc idem dicendum sit de Sacramento Baptismi? Et an, qui sic ministraret utrumque horum Sacramentorum, non peccaret per violationem interdicti, sed quia ministraret in peccato mortali,

& proinde non faceret duo peccata; primum, quia ministraret in peccato, secundum, quia violaret interdictum? Ex part. 5. tractatu decimo, Resolut. 63.

§. 1. POnam hic id, quod sentit circa praesentem quaestionem Faber de cens. in 4. sent. dist. 15. quaest. 1. dist. 5. cap. 2. num. 17. ubi sic ait. Quod dictum est de sacramento Baptismi, dicendum est quoque de sacramento Confirmationis. Ratio est, quia, cap. quoniam, de sent. excomm. in 6. equiparantur Baptismus, Confirmatio, quoad eorum ministerium in interdicto; dicitur enim ibi: quoniam cum Baptismo, & Confirmatione, quae nedum parvulis, sed adultis propter periculum exhiberi possunt licite tempore interdicti, &c. In quocumque ergo interdicto tam locali, quam personali licitum est ministrare haec duo sacramenta, & cum non distinguatur de interdicto personali, & gratiae sint ampliandae, & poenae restringendae, mihi videtur quod etiam personaliter interdictus, qui causam dedit interdicto, possit utrumque sacramentum dare propter mortis periculum. Velle autem excipere interdictum personale, videtur fieri sine ratione. Quod autem ait Suarez, quia, in cap. Alma interdictus personaliter ob causam datam interdicto eximi à concessione ministrationsis sacramenti Poenitentiae, & consequenter à ministrationse sacramenti Baptismi, & Confirmationis, quia haec sine previo sacramento Poenitentiae ministrare licite non possunt, hoc est accidentarium, & oritur ex alia radice, scilicet; quia non licet ministrare sacramentum in peccato mortali, non autem quia hoc sit prohibitum vi interdicti. Item qui sic ministraret utrumque horum sacramentorum non peccaret per violationem interdicti, sed quia ministraret in peccato mortali, & proinde non faceret duo peccata. Secundum Suarez autem faceret duo peccata. Primum, quia ministraret in peccato mortali. Secundò, quia violaret interdictum, idè illa opinio Suarez mihi non probatur. Ita Phil. Faber, an probabiliter, judicent alij.

Sup. contesto in hac Resol. usque ad eas verbi. Item. & in tom. 3. tr. 11. Resol. 2. à lin. 6.

RESOL. XXI.

Notabilia quadam circa Patrimum in Sacramento Confirmationis. Et inter alia tandem quaritur, an Religiosi Mendicantes possint esse Patrini in hoc Sacramento? Et quid de Episcopis Religiosis? Ex part. 3. tr. 4. Resolut. 21.

§. 1. P Rimum nota, dictum Patrimum non contrahere obligationem instruendi confirmatum, quia id jure statutum non reperitur, sicuti de patrino Baptismi. Ita Coninch. de Sacrament. q. 72. art. 10. Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 3. c. 6. n. 1. qui citat Henriquez, quidquid dicat Sylvius in 3. p. q. 72. art. 10.

2. Secundò est valde probabile, quòd si non confirmatus teneat alterum in hoc sacramento, non contrahat cognationem spirituales, quia ille non est legitimus susceptor, ut patet in cap. in Baptismo, de consecratione, dist. 4. sed in Baptismo illegitimus susceptor nullam contrahit cognationem spirituales, ut patet. Ergo idem est dicendum in sacramento Confirmationis. Ita Coninch. de Sacrament. q. 72. art. 10. num. 94. qui citat Suarez, Nugnus in 3. p. q. 72. art. 10. qui citat Victoriam, quidquid

Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis ejus primae not. Sup. hoc in Ref. seq. §. 1. ante mecum verbi. In Baptismo, & in aliis ejus annot.